

rectum, cor sapiens, & intelligibile, cor diligens iustitiam, & odio habens iniquitatem, multasque misericordias fecit cum eo, auferens bella de Regno eius, & pacans illud in tempore opportuno, ut in pace, & tranquillitate cresceret, & proficeret in sapientia, & virtute coram se, & hominibus, quemadmodum profecisse, & proficere, benedicente Domino, in dies magis omnes sciunt, & laudant Deum Coeli; appositum enim manus suas ad fortia, & iustitiam suam notam fecit omnibus nationibus, ita iustus praedicitur, & iusti nomine honorificetur.

Qui rebelles Regni sui profigavit.

§.2. Cum vero omnes Franciae Populi divinae bonitati gratias agere, & Deum laudare deberent, quod talem Rectorem, & Principem sibi dedisset, per quem ad optatam omnibus in Domino tranquillitatem, & prosperitatem pervenire posse sperare liceret; nonnulli, qui in via veritatis non steterunt, sed ab errando a recta post vanitates, & infanias falsas abierunt, haereticum diabolica fraude decepti, sicut Deum Regem Regum, ita & illum, qui per Deum regnat, post habentes, patri suo diabolo auscultarunt, & pro eo, ut diligenter tam pium, iustumque Regem, adversus eum cornua erexerunt, & arma impia sumentes, apertam rebellionem, & bellum intestinum excitaverunt, quos tamen Ludovicus Rex divina pro eo pugnante dextera, sicut promeriti sunt, humiliare, & prosternere feliciter cepit, & felicitus profecit, ac sperare in Domino licet brevi eos debellatum, eorumque contra superbia potestati sua subditurum: Quod & Nos, qui a Domino super gregem suum inscrutabili divinae sapientiae consilio constituti sumus, & intimo cordis affectu Ludovicum Regem diligimus, a Domino postulamus, & precamur.

Nam illorum tamens eis favore solent.

§.3. Verum, ut hoc praetermittere pro nostri officii debito non debemus, ita etiam quantum cum Domino possumus, providere tenemur, ne unde auxilium Ludovico Regi esse oportet, inde existat incommodum, & detrimentum, hostibus vero robor, & praesidium, divino honori contumelia, fidelibus scandalum & animarum aeternae salutis dispendium; ipseque Ludovicus Rex optimo jure conqueri possit, si inimicus meus maledixisset mihi, subtraxissem utique, tu vero homo unanims, & notus meus. Siquidem non sine gravi animi nostri molestia accepimus, non deesse ex catholicis Regni Franciae, qui in his haereticorum motibus non solum a Rege suo, ut ius, & fas postulat, non stent, sed hostium iniquis partibus favere, illique adherere non vereantur.

Quae ut ab his quoque restituta proposita admoveantur.

§.4. Quos ideo Nos paterno affectu enixe in Domino hortamur, ut memores officii sui, & Fidei, quam Regi suo debent, memores divinorum mandatorum, & iudiciorum contristare desinant Ecclesiam Dei matrem suam, quae sine dolore audire non potest, filios suos cum impiis partem habere adversus Principem suum, & adversus Deum

ipsum; Qui enim potestati resistit, Deo resistit, tantoque gravius, quod haereticis, & a grege Christi segregatis favent, & opitulantur. Quae enim societas luci, & tenebris, aut Christo, & Belial. Quod si non odio Religionis hoc fieri praetendant, intelligant non ideo apud Deum excusari, cujus valde offenditur, & irritatur Majestas, quoties cum Regiae Majestatis offensione, haereticis favetur. Itaque iterum eos in Domino hortamur, & monemus, ac sub interminatione divini iudicii requirimus per viscera Domini nostri Jesu Christi, ante cuius Tribunal omnes Nos manifestari oportet, reddituri de factis propriis rationem, ut ad cor redeant, ac privatos omisso bono publico non anteponan, divinae voluntati terrena desideria, publicae utilitati privata studia, Regni tranquillitati discordiarum & bellorum civilium tempestates, & procellas, iustitiae iniquitatem Deo, denique homini, & propriae salutis aeternam damnationem, & haereticos deferentes ad castra Domini, & ad Regem suum revertantur.

Eis, nisi respuerint intra quindecim dies, excommunicatione sibi reservata proponit.

§.5. Quod si indurato corde nostras huiusmodi paternas admonitiones, & cohortationes parvipendentes nostris huiusmodi mandatis, Regique suo non obtemperaverint, sed per quindecim dies a praesentium intimatione, seu in loco infra scripto affixione, seu publicatione, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & quinque pro tertio, & ultimo, ac peremptorio termino illis praefigimus, & assignamus, non respuerint, auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra eorum singulos anathematis vinculo innodamus, & innodatos decernimus, & declaramus, a quo non nisi a Nobis, & Romano Pontifice, aut ab eo auctoritatem habente, praeterquam in mortis articulo absolvi minime possint, aliasque poenas incurere volumus, a sacris canonibus haereticorum factoribus impositas. Imposterum vero, ne quisquam similem excessum committere, & haereticis contra praedictum Ludovicum Regem adherere, seu illis favorem, opem, & auxilium, vel consilium dare praesumat, sub simili excommunicationis, aliisque huiusmodi poenis ipso facto incurrendis, auctoritate praedicta, tenore praesentium interdiciamus, & prohibemus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Praesentium transumpta publicanda.

§.6. Quia vero difficile foret praesentes literas singulis eorum praesentari, & ad singula loca deferri, ad quae oportet, volumus, ut illae in loco viciniore affixae, & publicatae, perinde omnes ardeant, & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent; Quodque, ut earum transumptis, etiam impressis, manu publici Notarii, ac sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsequatis, eadem prorsus fides ubique gentium, & locorum in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 11. Augusti 1621. Anno.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Fa-

Ex Reg. in Secret. Brev.

Facultas Episcopo Luceorien. reservandi tria Beneficia Ecclesiastica in singulis Gnesnen., Uladislavien., Pofnaniem., Plocen., Cracovien., Warmien. Ecclesiis Personis per Regem Poloniae nominandis.

Ven. fratri Andreae Episcopo Luceorien.

GREGORIUS PAPA XV.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Facultas de qua in rubrica.

§.1. UT charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae, & Sveciae Rex Illustris personis in fide catholica, & unione Sanctae Romanae Ecclesiae persistentibus, aliisque sibi gratis, & acceptis se se nostra, & huius Sanctae Sedis opera benignum prestare possit, fraternitati tuae Beneficia Ecclesiastica in singulis Gnesnen., Uladislavien., Pofnaniem., Plocen., Cracovien., & Warmien. Ecclesiis, Civitatibus, vel Dioecesebus consistentia, etiam Canoniciatus, & Praebendae, Dignitates, Personatus, administrationes, & officia, ac dignitates ipsae in praedictis post Pontificales majores, aut aliis Ecclesiis praedictarum Civitatum, vel Dioecesium principales fuerint, & ad illas, nec non personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eiusque cura etiam iurisdictionalis imminet animarum, illaque omnia dispositioni apostolicae specialiter, vel ex quavis causa, praeterquam ratione vacationis illorum apud Sedem praedictam, aut familiaritatis continuae commensalitatatis nostrae, seu alicujus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret, generaliter reservata, vel ex generali reservatione apostolica affecta, & cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus, & proventus extiterint, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem Ven. fratrum Archiepiscopi Gnesnen., nec non Uladislavien., Pofnaniem., Plocen., Cracovien., & Warmien. Episcoporum, ac dilectorum filiorum Capitulum Ecclesiarum praedictarum communiter, vel divisim pertinentem vacantia ad praesens, aut simul, vel successive, etiam in mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio per Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae Regulae Nobis generaliter reservata existit vacatura, singula videlicet singulis personis ecclesiasticis, clericali saltem characteris insignitis, & aliis idoneis, ac in fide catholica omni tempore constantibus, quas dictus Sigismundus Rex duxerit nominandas, si quisque nominandorum per se, vel Procuratorem suum legitimum infra unius mensis spatium, postquam vacatio huiusmodi innotuerit, Beneficium vacans duxerit acceptum.

Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

ptandum, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, auctoritate nostra apostolica, hac vice dumtaxat specialiter reservandi, nec non Archiepiscopo, & Episcopis, ac Capitulis praedictis, ne de Beneficiis huiusmodi, si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, disponere quoquo modo praesumant, districtius inhibendi, nec non quid quid secus per praedictos, aut alios quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernendi.

Facultatum necessarium concessio.

§.2. Et nihilominus singula Beneficia praedicta si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, singulis personis nominandis praedictis cum iuribus, & pertinentiis huiusmodi, ac plenitudine iuris canonici conferendi, & de illis etiam providendi, coeque, seu eorum Procuratores ipsorum nominibus in corporalem possessionem Beneficiorum, iurium, & pertinentiarum praedictorum inducendi, ac inductos defendendi, & eisdem nominandas personas, vel pro eis Procuratores praedictos ad praeben. huiusmodi singulis Ecclesiis praedictis in Canonici, & fratrem recipi, & Stallo sibi in choro, & loco in capitulo singularum Ecclesiarum praedictarum cum dicti iuris plenitudine assignatis, nec non ad singula alia Beneficia huiusmodi, ut motis est, admittendi, sibi que de illorum, ac Canoniciatus, & Praebendarum praedictarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, & obventionibus universis integre responderi faciendi; Ac contradicentes quoslibet, dicta auctoritate nostra, appellatione postposita compescendi, caeteraque in praemissis, circa ea necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, plenam, & liberam, auctoritate apostolica, tribuimus facultatem.

Derogatio concessio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsarum Ecclesiarum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui apostolica praedicta, vel alia quavis auctoritate in dictis Ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Praebendis, aut dignitatibus, personatibus, administrationibus, & officiis dictarum Ecclesiarum speciales, vel aliis Beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus personas praedictas in asequutione Canoniciatus, & Praebendarum, Dignitatum, Administrationum, & officiorum, & Beneficiorum huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad asequutionem Dignitatum, Personatum, Administrationum, vel Beneficiorum aliorum praedictorum generari. Aut si Archiepiscopo, & Episcopis, ac Capitulis praedictis communiter, aut divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem, vel praesentationem, & ad receptionem, vel praesentationem.

A a a 2

tationem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus, & Præbendis, aut Dignitatibus, Personatibus, administrationibus, vel officiis hujusmodi, aut aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectant, nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generalis, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter insertam effectus hujusmodi gratia impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Seu si persona prædicta præsentibus non fuerint, ad præstandum de observandis Statutis, & consuetudinibus dictarum Ecclesiarum, solitum Juramentum, dummodo in absentia sua per Procuratorem idoneum, & cum ad Ecclesias prædictas accesserint, corporaliter illud præsentent.

§.4. Volumus autem, ut si alicujus ex Beneficiis per te vigore præsentium collatis fructus, redditus, & proventus XXIV. ducat. auri de Camera secundum communem estimationem valore annuum exceperint, illi, quibus per te provifum de illis extiterit, infra sex menses a die eis factarum provisionum hujusmodi computan. novam provisionem super illis a dicta Sede Apostolica impetrare, literasque in totum desuper expedire, ac Jura Camera Apostolica propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin sex mensibus elapsis prædictis, Beneficia ipsa vacare censeantur eo ipso.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Augusti 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 13. Augusti 1621. An. I.

Ex Regest. in Secret. Brev.

XXIV.  
Hortatur Archiepiscopus, & Episcopos Regni Franciæ, ut assiduas preces pro felici Regis successu contra hæreticos fundant.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in Regno Francia constitutis salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium. S Acri apostolatus ministerio per abundantiam divine gratiæ, nullo licet merito nostro, præfidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro apostolicæ servitutis debito continue premimur, illa Nos maxime sollicitus habet, quam præsentibus hæreticorum, & rebellium in nobilissimo Francia Regno motus Nobis merito consiciunt.

§.1. Quamobrem cum charissimus in

Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus eosdem hæreticos, propitiante Domino Deo exercituum, debellare, & nefarios eorum conatus, atque machinationes reprimere fortiter cæperit, ita ut sperare Nos posse videamur, eundem Ludovicum Regem Deum elegisse ad ostendendam per eum misericordiam suam, & faciendi potentiam in brachio suo pastoralis officii nostri partes præcipuas esse duximus, Fratritates vestras, quas in partem sollicitudinis nostræ vocavit Altissimus, paterne, enixeque, quod facimus, requirere & in Domino adhortari, ut temporalia ejusdem Ludovici Regis arma vestris spiritualibus, videlicet orationibus, & jejuniis coadjuvetis, greges vestra curæ divinitus commissos, ut corde contrito, & humiliato assiduas pias ad Deum Patrem misericordiarum preces pro felici ejusdem Ludovici Regis contra dictos hæreticos successu, hæresum ipsarum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, & tranquillitate fundant, moneatis.

§.2. Nos enim, ut illi ad hæc alacrius peragenda invententur, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis vere penitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui orationi XL. horarum ea de causa in ejusdem Regni Ecclesiis a Vobis deputandis, & mandato etiam vestro instituenda per aliquod temporis spatium devote interfuerint, & ibi, ut præfertur, ad Deum oraverint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, præsentibus pro hac vice tantum valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Causæ pecuniarum preces ad Deum fundendi.

Adhortatio, de qua in Rubrica.

Oratio XL. Horarum indicenda cum indulgentiarum concessione.

Perogatio contrarium.

Dat. die 21. Augusti 1621. An. I.

Ex Regest. in Secret. Brev.

XXV.  
Facultas Nuncio Apostolico apud Regem Hispaniarum confirmandi nonnullos Judices seculares ab eodem Rege deputatos pro cognitione cujusdam cause concernentis Milites Militiarum Regnorum Hispaniarum.

Venerabili fratri Alexandro Patriarchæ Alexandrino Nostro, & Sedis apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabili fratri Salzem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Cum, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, in processu causæ, seu causarum moderni Ducis Ossunæ coram cæteris Judicibus ab eodem Philippo Rege deputatis

Causæ concordandi facultatem, de qua in Rubrica.

Contestatio.

pendentium, nonnulli fratres milites militiæ Sancti Jacobi de Spatha culpabiles reperi sint, & fieri possit, ut etiam de Calatrava, & Alcantara militiarum fratres milites in eodem processu similiter inditiati successu temporis reperiantur.

§.2. Idcirco fraternitati tuæ per præfentes committimus, & mandamus, ut Judicibus ab eodem Philippo Rege, ut præfertur, deputatis, & in causâ, seu causis hujusmodi pro tempore deputandis, contra omnes, & singulos tam prædictarum, quam aliarum quarumcumque Regnorum Hispaniarum militiarum, & quorum dictus Philippus Rex Administrator, apostolica auctoritate, deputatus existit, fratres milites, legitimis precedentibus iudiciis, etiam ad incarcerationem, & rigorosum examen procedendi, atque inquisitiones, & processus fabricandi, & contra culpabiles repositos ad sententiam definitivam, & illius executionem deveniendi Juris ordine servato, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, etiam si talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, & expressam requirerent commissionem, faciendi, gerendi, & exequendi, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem, auctoritate nostra, concedas, & impartiaris.

Perogatio contrarium.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac apostolicis, nec non in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac prædictarum militiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilitis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, Indultis, & literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exequita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Augusti 1621. An. I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Augusti 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Præfinitio nonnullarum Ordinationum pro felici gubernio Fratrum Minorum, S. Francisci de Observantia Reformatorum in Italia.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Onerosa pastoralis officii sollicitudo, meritis licet insufficientibus, Nobis ex alto commissa, crebro Nos admonet, ac inducit, ut ad statum Christianissimum quorumlibet, præsertim Regularem vitam profitentium, salubriter dirigentibus studiis intendentes, ea, quæ felici eorum gubernio, prosperæque directioni profutura noscuntur, provide statuamus, & ordinemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Procurator.

§.1. Ut igitur Ordo Fratrum Minorum S. Francisci de observantia Reformatorum nuncupatorum, per totam Italiam felicioribus in dies augeatur progressibus, Motu proprio, non ad ipsorum Fratrum Reformatorum instantiam, sed de mera nostra matura deliberatione volumus, & mandamus, ut ultra ea, quæ disponuntur in Constitutionibus fel. record. Gregorii XIII., & Clementis VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum circa modum vivendi Reformatorum, Fratres Observantes Reformati amplius ad Capitulum Provinciale non accedant, nisi solum ipsorum Custos, qui etiam solus vocem activam tantum habeat.

Solus Custos Reformati accedat ad Capitulum Provinciale, & vocem habeat activam.

§.2. Non habeant in futurum præfati Reformati inter Observantes, seu de familia aliquam dignitatem, seu officium; & si aliqui de familia ob aliquam causam, & ob quodcumque privilegium, seu facultatem transierint ad Reformationem, nullum officium, & dignitatem habere possint, nisi per sex annos inter eos permanerint, & laudabiliter cum eis vixerint; Et illi, qui transire voluerint a familia ad Reformatos, debeant hoc obtinere in Congregatione, seu Capitulo, prout modo observatur. Et illi qui talem licentiam obtinebunt, debeant facere annum novitatus integrum, prout alii Reformati faciunt. Intinetur omnibus Reformatis in Congregatione, seu Capitulo Provinciali ad deducendas causas, propter quas velint ad familiam transire, quibus assignetur annus ad deliberandum, quo elapso, nullus postea Reformatus ob quamcumque causam a Reformatis ad familiam transire possit.

Transitus Reformati ad Observantes, & viceversa, quibus in causis permittendat.

§.3. Quoad jurisdictionem Ministrum generalis in Reformatos, servetur Constitutio ejusdem Gregorii Prædecessoris.

Jurisdictio Ministri Generalis Reformati servatur.

§.4. Procurator Reformatorum eligatur a Cardinale Protettore pro tempore existenti, qui debeat etiam deputare quatuor Visitatores per totam Italiam de triennio in triennium, qui curent observari literas patris mem. Nicolai III. & Clementis V. Romanorum

Procurator, & Visitatores Reformati a Card. Protettore eligentur observantiam observent.

notorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, concernentes observantiam regularem, & delinquentes corrigant, & puniant, prout eis magis expedire videbitur, certioresque faciant Cardinalem Profectorem, & Ministrum generalem Reformatorem, ut, & ipsi, quod necessarium fuerit ad animarum salutem, procurent observari.

Ministri Provinciales Observantiam superioritatem non habeant in Reformatos. Præmissa inviolabiliter observentur. Clausula præservative.

§.5. Ministri Provinciales Fratrum de familia nullam habeant jurisdictionem, potestatem, & superioritatem in Reformatos. §.6. Decernentes præmissa omnia, & singula, perpetua, valida, firma, & efficacia esse, & fore, & per præfatos Fratres Reformatos perpetuo observari debere.

§.7. Præfentes quoque literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendere posse, sed semper ab illis exceptas esse, & fore, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas censei: Sicut per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores copiosius.

§.8. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis per præfatos committimus, & mandamus, quatenus quicumque illorum per se, vel per alium, seu alios præfentes literas, & in eis contenta quacumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsique Fratribus Reformatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistent, faciant auctoritate nostra illos eorundem præmissorum effectu pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariis.

§.9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.10. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 7. Septembris 1621. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Sept. 1621. Pontificatus nostri An.I.

Facultas Nuncio apud Regem Franciæ affrancandi nonnulla Bona Ecclesiastica, pecuniaque ex hujusmodi affrancatione provenientes in sumptus belli contra Hæreticos, ac rebelles erogandi.

Ex Regis. in Secret. Brev.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini divina disponente Clementia præfidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii, & apostolicæ servitutis debito continue premimur, ea nunc est præcipua, quam præfentes hæreticorum in Regno Franciæ motus Nobis merito concipiunt. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a Nobis postulantur, per quæ Catholicorum Principum vires ad resistendum hostium veræ Fidei conatibus augmentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Proœmium.

§.1. Sane cum charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus ob concitatos in eodem Regno ad præfens per humani generis hostem motus, pro compescendis hæreticis rebellibus, gravia hæctenus expensarum onera subierit, & ad præfens subeat, & sicut accepimus, aliâ diversâ bona ad Ecclesiâs, Monasteria, Prioratus, & alia Beneficia Ecclesiastica Regni Franciæ spectantia, & pertinentia, de licentia Sedis Apostolicæ vendita, & alienata fuerint, & ad certum tempus eidem Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, & aliis Beneficiis hujusmodi eadem bona sub certis modo, & forma affrancandi facultas concessa fuerit: Nos idcirco eidem Ludovico Regi de aliquo subventionis auxilio, quacumque ratione possumus, providere cupientes, sine Cleri gravi dispendio hujusmodi affrancationem bonorum fieri posse decrevimus.

Excitatis bellorum motibus per Hæreticos in Gallia.

§.2. His, aliisque gravissimis causis ad Dei gloriam, Sanctæque ejus Ecclesiæ defensionem, & exaltationem adducti, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributa Nobis a Domino, apostolicæ potestatis plenitudine, Veni: fratri Octavio Archiepiscopo Tarfen. nostro, & apostolicæ Sedis in dicto Regno Nuncio, ac aliis personis Ecclesiasticis ab eo, si ei videbitur, ex dicto Clero deputant, ut omnia, & singula bona, quæ, ut præfertur, vendita, vel alienata reperientur, residuo iusti pretii per emptores soluto, seu aliis honestis conditionibus affrancare, omnesque pecunias ex affrancatione hujusmodi provenientes, personæ a dicto Clero Regni prædicti deputandæ per eam in præfentis Belli, & non alios usus convertendas, & erogandas assignari facere, nec non Instrumenta, ac omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & oportuna, etiam si talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, facere, gerere, & exequi libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur.

Gregorius permittit pecunias ex affrancatione nonnullorum bonorum ecclesiasticorum provenientes in hujusmodi belli sumptus erogari.

portuna, etiam si talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, facere, gerere, & exequi libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur.

§.3. Decernentes affrancationes vigore præsentium faciendas suam debitam roboris firmitatem obtinere, suosque plenarios effectus sortiri, & per Ecclesiâs, Monasteria, Prioratus, & alia Beneficia prædicta obtinentes, ac alios quoscumque ad quos spectat, & impositum spectabit, inviolabiliter observari debere, neque Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, aliaque personas dignitates, & alia Beneficia prædicta obtinentes a præmissis, & aliis in vim præsentium facien. quovis etiam enormissimæ læsionis prætextu, aut ex quacumque alia etiam iustissima causa quomodolibet appellare, seu reclamare, ac illis aliqua privilegia etiam per Sedem Apostolicam quomodolibet concessa suffragari non posse, sique per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus, & ordinationibus apostolicis, ac præsertim Symmachi, Pauli II., & Pauli IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac Ecclesiârum, monasteriorum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 13. Septembris 1621. An.I.

Facultas Apostol. Nuncio apud Galliarum Regem colligendi subsidium Decies centenorum millium scutorum ab Ecclesiasticis, Piusque Locis Regni ejusdem, quæ in Belli contra Rebelles sumptus erogentur.

Ex Regis. in Secret. Brev.

Veni. Fratri Octavio Archiepiscopo Tarfen. Nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Franciæ Nuncio.

GREGORIUS PAPA XV.

Veni. Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Militantis Ecclesiæ regimini divina disponente clementia præfidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro Pastoralis officii, & apostolicæ servitutis debito continue premimur, ea nunc est præcipua, quam præfentes hæreticorum in Regno Franciæ motus Nobis merito concipiunt. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a Nobis postulantur, per quæ Catholicorum Principum vires ad resistendum hostium veræ Fidei conatibus augmentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§.1. Sane cum charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus ob concitatos in eodem Regno ad præfens per humani generis hostem motus pro compescendis hæreticis rebellibus, gravia hæctenus expensarum onera subierit, & ad præfens subeat: Nos eidem Ludovico Regi de aliquo subsidio ex Ecclesiârum Regni Franciæ peculio, Christianique Domini patrimonio providere decrevimus.

Ad præfendum Regi pro bello contra rebelles auxiliium.

§.2. His igitur, & aliis gravissimis causis ad Dei gloriam, sanctæque ejus Ecclesiæ defensionem, & exaltationem pertinentibus adducti, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuæ subsidium unius millionis scutorum a quarumcumque Metropolitanarum, quæ Cathedralium Ecclesiârum Archiepiscopis, Episcopis, nec non illarum, & Collegatarum Præpositis, Decanis, Capitulis, & Canonicis, ac Parochialium, & aliarum Ecclesiârum in Regno Franciæ existentium dumtaxat, & sitarum Rectoribus, Beneficiatis, cæterisque personis ecclesiasticis secularibus, quæcumque alia Beneficia Ecclesiastica quomodolibet nuncupata, & qualitercumque qualificata, etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus apostolicis, vel alias quomodolibet obtinentibus (exceptis tamen quoad curata iis, quorum centum, & quoad simplicia Beneficia iis, quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedunt) nec non etiam quorumcumque Monasteriorum, Domorum, & Prioratuum Con-

Pontifex Ap. Nuncio conceit die colligendi subsidium decemcentenorum millium scutorum Clero, & locis piis.

ventualium Cisterciens., Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacens., Fontis Ebraldi, Præmonstraten., Grandimontens., Cartusien., Camaldulens., Montis Oliveti, Vallisumbrosæ, Cruciferorum Sancti Hieronymi, & aliorum quorumcumque Ordinum, non tamen Mendicantium, ac etiam Cassinens., Sanctæ Juliane de Padua, Sancti Bernardi, Vallischolearium, Lateranen., ac Sancti Salvatoris, aliarumque Congregationum, tam virorum, quam Mulierum in Regno prædicto similiter existentium, & storum Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatissis, Priorissis, & aliis quibuscumque quocumque nomine nuncupatis superioribus, cuiuscumque conditionis, status, gradus, ordinis, & qualitatis existent., ac immunitatis, exemptionis, vel alio quocumque privilegio gaudentibus, juxta taxam a Te, & personis a Te si videbitur nominandis ex Clero prædicto auctoritate nostra pro reddituum, & proventuum quantitate facien., ac modum, & formam, tempus, locumque solutionis præscriben. petendi, exigendi, & imponendi, ac quascumque personas ecclesiasticas ad exactiorem subsidii hujusmodi facien. constituendi, & deputandi, quodque, ut pecunie ex subsidii hujusmodi exactiōe provenientes, personæ a dicto Clero Regni prædicti deputanda per eam in præsentis Belli, & non alios usus eroganda consignentur, mandandi, & præcipiendi.

Cum auctoritate etiam re-nuentes compellendi.

§. 3. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac Tibi in præmissis non parentes per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recurfu, & reclamatione proflus remotis, & postpositis compescendi, & compellendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, etiam si talia sint, vel fuerint, quæ magis speciale, specificam, & expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi.

Data etiam ecclesiasticis facultate Beneficiorum suorum bona ad hunc effectum hypothecandi.

§. 4. Insuper omnibus, & singulis personis ecclesiasticis prædictis, ut in faciliori subsidii hujusmodi solutione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum suorum ecclesiasticorum prædictorum bona, non tamen ultra quinquennium obligare, & hypothecare libere, & licite valeant, ita tamen, ut finito quinquennio hujusmodi eadem bona ab obligatione, & hypotheca hujusmodi omnino liberentur, concedendi, apostolica auctoritate, tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem, auctoritatem, & potestatem concedimus, & impertimur.

Inhibendo eisdem, ne d. Nuncium in hoc ullo modo perturbent.

§. 5. Distinctus inhibentes Archiepiscopis, Episcopis, Præpositis, Decanis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Beneficiatis, nec non Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatissis, Priorissis, & Superioribus, aliisque prædictis sub excommunicationis majoris, a qua non nisi per Summum Pontificem pro tempore existen-

tem, præterquam in mortis articulo constituti absolvi possint, necnon privationis omnium, & singulorum Dignitatum, Canonici-tuum, & Præbendarum, Monasteriorum, officiorum, administrationum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinen. aliisque arbitrio nostro statuendis, moderandis, & infligendis poenis, ne Te super præmissis omnibus, & singulis etiam vigore quorumcumque privilegiorum, Indultorum, immunitatum, exemptionum, aut aliarum gratiarum eis, vel eorum Ecclesiis, Ordinibus, Monasteriis, Domibus, Prioratibus quomodolibet concessarum, confirmatorum, approbatorum, & innovatorum impedire, perturbare, molestare, vel inquietare audeant, seu præsumant.

Clausula.

§. 6. Decernentes, præsentis literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suorumque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 7. Non obstante sel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus diebus, ac nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Sinodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ecclesiarum, nec non Ordinum, Congregationum, Monasteriorum, Domorum, & Prioratuum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, & institutis, privilegiis quoque, Indultis, & literis apostolicis illis, eorumque Ecclesiis, bonis, & Beneficiis, ac superioribus, & personis, etiam per viam legis, aut Statuti perpetui, ac etiam juramento stipulati contractus, ac aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Servanda tamen Concilii Viennens. statuta de facis

§. 8. Volumus autem, quod dicta summa unius millionis scutorum auri hujusmodi semel soluta præsens gratia nulla sit, neque

supellectilibus non distraendis.

que exactiōni amplius ullatenus sit locus, quodque etiam juxta ordinationem in Concilio Viennens. super hoc editam Sacri Calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Beneficiorum, & aliorum prædictorum, divino cultui dicata, ex causa pignoris, vel aliis occasione solutionis summa hujusmodi ullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur.

Fides danda transumptis.

§. 9. Et pariter, quod præsentium Transumptis sigillo alicujus Prælati ecclesiastici, & publici Notarii subscriptione munitis eadem proflus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ ipsi originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel offensa.

Dat. die 13. Sept. 1621. An.I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXIX.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Eadem de causa duæ Decimæ in Gallia Regno ab ecclesiasticis perfolvendæ indicuntur.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Procurium.

Militantis Ecclesie regimini, divina disponente clementia præsidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii, & apostolicæ servitutis debito continue premimur, ea nunc est præcipua, quam præsentis Hæreticorum in Regno Francia motus Nobis merito conciliunt. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus cum ea a Nobis postulantur, per quæ Catholicorum Principum vires ad resistendum Hostium veræ fidei conatibus, augentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ad subsidium Regi pro bello conura rebelles præstandum.

§. 1. Sane cum Charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus ob concitatos in eodem Regno ad præsens per humani generis Hostem motus, pro compescendis Hæreticis rebellibus gravia hætenus expensarum onera subierit, & ad præsens subeat: Nos eidem Ludovico Regi de aliquo subsidio ex Ecclesiarum Regni Francia peculio, Christi que Domini patrimonio, cujus causa agitur, providere decrevimus.

Dat. Decimæ super fructibus omnium ecclesiasticorum Beneficiorum indicuntur.

§. 2. His igitur, & aliis gravissimis causis ad Dei gloriam, sanctæque ejus Ecclesie defensionem, & exaltationem pertinentibus adducti, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributa Nobis a Domino apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium indicimus, & imponimus duas semel in una, vel pluribus solutionibus, arbitrio Collectorum infra deputatorum perfolendas integras Decimas in usum præsentis belli contra Hære-

ticos tantum, & non in alios erogandas, omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Archiepiscopaliū, Episcopaliū, Collegiatarum, Parochialium, nec non Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Abbatialium, Capitularium, tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiatarum Ecclesiarum, nec non Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Canonici-tuum, & Præbendarum, dignitatum, Personatum, Administrationum, etiam Fabricæ, & officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacens., Cisterciens., Præmonstraten., Grandimontens., ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, non tamen Mendicantium, nec non Congregationum Regularium, acceptis tamen quoad curata iis, quorum centum, quo vero ad simplicia Beneficia iis, quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedunt, & præterea Hospitalium etiam pauperum Hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra usus infirmorum, & alia pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda, possiden., nec non Beatæ Mariæ Theutoniarum, Sancti Lazari, Templi Dominici, & aliarum Militiarum (Hospitalis Sancti Joannis Hierosolimyti, quæ pro sui tutela contra Turcas, & alios infideles, alienis auxiliis quotidie indiget, dumtaxat excepta) in Universo Regno Francia existent., secundum communem estimationem, fructuum, & aliorum prædictorum, ac similiter duas integras Decimas omnium pensionum super præmissis assignatarum, & assignandarum, semel tantum, ut dictum est percipien., & exigen. a quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, Primatibus, Præpositis, Decanis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Beneficiatis, Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatissis, Priorissis, Fratribus Militibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis secularibus, & Regularibus, cæterisque quascumque dignitatis, status, & conditionis existentibus prædicta quocumque jure, modo, occasione, & titulo obtinentibus, seu detinentibus, & obtenturis, nec non Economicis, & Administratoribus perpetuis, seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones res, & alia quacumque hujusmodi jura, & bona ex quacumque causa quavis auctoritate in toto, vel in parte sibi reservata, aut concessa habentibus, vel habituris secularibus, & regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium prædictorum, nec non ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, mensis, massis, & locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili,

B b b paci-

pacifica, & continuata sussultis, quos omnes exceptis supradictis, in una, vel pluribus solutionibus, ut praefertur, Collectoribus praedictis volumus decimas praedictas infra terminum ab eisdem Collectoribus praescribendum perfolvisse, ita ut qui pensiones perfolvere debent, etiam nomine Pensionariorum decimas pensionum perfolvant, & deinde in proximis terminis pensionum eam ratam sibi retineant, ad rationem decem pro centenario, nisi iidem collectores ab ipsismet pensionariis eam exigere voluerint.

Clausula.

§. 3. Decernentes, nullas omnino exemptiones, & immunitates exactionem huiusmodi impedire posse: Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nuncios Apostolicos Collectores deputatur cum oportunitate facultatibus.

§. 4. Ut autem supradicta diligenter, & fideliter executioni demandentur, Ven. Fratrem Octavium Archiepiscopum Tarfen. Nostrum, & Sedis Apostolicae in dicto Regno Nuntium, cuius integritas, & prudentia Nobis jam pridem cognita est, & alias ecclesiasticas personas, si ita ei videbitur, ab eo nominandas, decimarum praedictarum Collectorem cum omnibus, quae aliis huiusmodi Collectoribus de Jure, vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate, & tenore praedictis constituimus, & deputamus. Mandantes, ut quicquid inde per se, vel per personas ecclesiasticas praedictas, seu subcollectorum suos exegerit, id omne persona a Clero Regni praedicti deputanda consignari, persona vero deputata, huiusmodi in usus praesentis belli tantum, nec alias erogare curet, & faciat: Ac eidem Octavio Archiepiscopo plenam, liberam, amplam, & absolutam potestatem Decimas huiusmodi ubique per se, vel personas ecclesiasticas, ut praefertur eorum arbitrio, habita tamen ratione communis aestimationis fructuum, ac etiam onerum cuique Ecclesiae, aut loco Sacro, vel pio, unde exigenda erunt, incumbendum taxandi, & exigendi, atque ubi opus fuerit, moderandi, & ad minorem summam reducendi, praedictos omnes tam conjunctim, quam divisim ad integram illius solutionem, etiam per Edictum locis publicis assignandum, etiam sub censuris, & poenis Ecclesiasticis monendi, & requirendi, non parentes, contumaces, & fraudantes in censuras, & poenas praedictas incidisse declaran., proprietates, fructus, res, & bona ipsorum apprehendendi, & usque ad satisfactionem retinen. Contradictores, perturbatores, molestatores, & rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte quovis colore praestantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & Ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris, & poenis ecclesiasticis, nec non pecuniariis, ceterisque Juris, &

facti remediis opportunis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, Beneficiis, & Officiis omnibus privandi, & amoven., & ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem vero reverbos, qui debite satisfacerint, ab omnibus censuris, & poenis supradictis in forma Ecclesiae consueta absolvendi: Praeterea quascumque personas ecclesiasticas in Collectores, & Subcollectores fide, & facultatibus idoneos in omnibus Civitatibus, Diocesis, & Provinciis Regni praedicti, quotquot expedierit, cum simili, aut limitata, non tamen absolviendi potestate, constituendi, cumque, vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi, quotiescumque eis videbitur, in delinquentes, & contumaces per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Iudicii inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos, & formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi.

Contraria tolluntur.

§. 5. Non obstant. fe: re: Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & locorum praedictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, quodque personis praedictis, eorumque Ecclesiarum, & locis, vel quibusvis aliis communiter a praedicta sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Immunitatibus in genere, vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & solutiones Decimarum aliter, quam secundum antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per Orbem, aut per universa Regni Franciae praedicti loca impositiones fieri prohiben., necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, Juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per Impositionem Decimarum huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque Indultis in literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, cujuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clementis PP. V. Constitutio.

§. 6. In percipiendis vero Decimis praedictis

tio, & Concilii Viennensis statuta observanda.

distis pie memoriae Clementis Papae V. etiam praedecessoris nostri in Concilio Viennensi. editam Constitutionem, ac praesertim quod ad monetam currentem exigi, quodque nec calices, nec libri, ceteraque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliaque suppellex ecclesiastica ex causa pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut alias quomodo libet occupari debeant, ubique praecipimus observari. Quinimo volumus, ut illius occasione Ecclesiae, Monasteria, aliaque pia, & Sacra loca quaecumque debitis pro parte non fraudentur obsequiis, ac divinis in iis cultus, & solitus Altissimo famulantium, & Ministrorum numerus nullatenus minuat, nec eis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quae exerceri solent opera, & officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur opera consueta, nec quisquam etiam plura fortasse beneficia, aut pensiones cujuscumque valoris obtinens pro quietantia ultra vigesimam partem unius aurei nummi solvere cogatur.

Transumptis danda fides.

§. 7. Praesentium vero literarum exempla etiam impressa Notarii publici manu subscripta, aut alicujus persone in dignitate ecclesiastica constituta sigillo obsignata, eadem in Iudicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipse originales facerent, si essent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 13. Sept. 1621. An. I.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

X X X.

Ex Regest. in Secret. Breve.

De Decem mille Ducatis Fabricae S. Petri quotannis perfolvendi ex elemosynis, quae in Regno Portugalliae ex Privilegiis Cruciatum colliguntur.

Charissimo in Christo filio Nostro Philippo Portugalliae, & Algarbiorum Regi Catholicissimo.

GREGORIUS PAPA XV.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenset indulgentias, & privilegia Cruciatum a se pro rogata.

§. 1. Hodie per alias nostras in simili forma Brevis expeditas literas Indulgentias, & gratias illas spirituales, & temporales ad certum tempus publicandas, & duraturas clar. mem. Philippo II., & Philippo III. Portugalliae, & Algarbiorum Regibus Catholicis Avo, & Genitori tuis respective, ac omnibus, & singulis Christianis fidelibus in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis, aliisque Terris, & locis in dictis literis expressis consisten., & ad illa declinan., qui certa munera adimpleverint a fel. record. Gregorio XIV. die 12. Aprilis Pontificatus sui Anno Primo, et deinde a Clemente VIII. ad triennium, postea a Paulo V. Romanis Pontificibus praedecessoribus Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

bus nostris die 23. Decembris 1595. per suas in eadem forma Brevis expeditas literas ad sexennium a dicta die 23. Decembris inchoandum respective concessas, & ut praefertur, extensas, & prorogatas, justis, & gravibus causis adductis ad sexennium a data literarum nostrarum praedictarum inchoandum extendimus, & prorogamus; Nec non eidem Majestati tuae, ac omnibus Christianis fidelibus praedictis, Indulgentias, & gratias spirituales, & temporales praedictas cum omnibus, & quibuscumque Indultis, facultatibus, concessionibus, declarationibus, extensionibus, conditionibus, clausulis, & Decretis in Gregorii, Clementis, & Pauli Praedecessorum Nostrorum, ac Nostri literis contentis, ad sexennium auctoritate apostolica de novo concessimus, & indulgemus, & alias, prout in dictis literis nostris huiusmodi plenius continetur.

Decem mille ducatos Fabricae S. Petri quotannis ex elemosynis colligen. solvi praecipit.

§. 2. Ut autem Fabrica Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, quae in eisdem Apostolorum Principis honorem, jam multis annis ingentibus sumptibus extruitur, parte alia eorumdem fidelium elemosynarum adjuvetur, volumus, & dictae auctoritate tenore praesentium decernimus, ut ex elemosynis, quae causa, & occasione dictarum Indulgentiarum, & gratiarum erogabuntur, decem millia ducat. auri de Camera quotannis a data praesentium incipien., eidem Fabricae impertiri, ac pro ea Ven. fratri Vincentio Episcopo Albinger. spoliatorum, & jurium Camerae Apostolicae in praedictis Regnis moderno, & pro tempore existenti Collectori, solvi omnino debeant.

Qui quidem exequutores Collectori spoliatorum solvi debeant.

§. 3. Mandantes propterea dilecto filio Antonio Mascarenas praedictarum gratiarum Exequutori, & Commissario a Nobis deputato, & pro tempore Exequutori, & Commissario deputando, omnibusque ad quos spectat, & spectabit, ut praefertur, pecuniarum summam Collectori praedicto integre solvi faciant.

Contraria tolluntur.

§. 4. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Sept. 1621. An. I.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Septembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

X X X I.

Facultas Officiali Metensi uniendi Abbatia Sancti Gorgonii Primatui Collegiatae Ecclesiae B. M. V. Oppidi de Nancy Tulen. Diocesis.

Ex Regest. in Secret. Breve.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio officiali Meten. salutem, & apostolicam benedictionem.

EX supremae majestatis providentia in dignitatis sublimitate, meritis licet impar-

Procemium: par-